

1582 pro comperto habere se, inquit *Senatum*, in quo hausti a maioribus generosi illi spiritus vigerent, insueta hac consilia, & conatus non laturum: *vetus Reipublicæ decus dignitatemque quacumque ratione defensurum*. Ea liberrime (uti *Senatorem Venetum* decebat) a legato prolata, multorum arrogantiam, ac petulantiam coercuere: varia in *Cardinalium collegio* jactata, dicta, enuntiata; nec deerant inter *Purpuratos*, qui *Gregorium* vehementer carperent, quod hisce temporibus *Reipublicam* antiquitate, religione, ac viribus præsertim maritimis præpotentem impeteret. Attamen ita cum *Venetis Pontifex* agebat, ac si sub aleam universus terrarum orbis casurus videretur; gravissimarum interea rerum momenta inani alteratione prætermittebantur.

Eodem tempore turbata navigationis, & *Uscochorum* damna resurgebant; quorum non minus molestia, quam satietas civitatem ceperat, ut, quæ in pacis otio per hos annos accidere, perlegentibus tædium quoque sint allatura. *Franciscus*, *Magnus Hetruriæ Dux*, nuper institutæ religionis, quam *divo Stephano* nuncupaverat, auctor & princeps, eo cogitationes omnes contulerat, ut maritimis excursionibus, irreconciliabiles cum *Turcis*, infidelibusque inimicitias exercendo, prædas congereret, subjectos ditaret, captivos ad transtra ablegaret, aliaque inde emolumenta perciperet. Itaque anni hujus initio *Gajanam* navim e *Cytheræ* insulæ portu solventem *Florentini* ceperant. Eventum *Patres*, ob subjectorum damna, negotiatorum impedimenta, *Byzantinas* querelas ægre admodum tulerant; neque, quod ad eam injuriam propulsandam spectaret, omiffuri quidquam videbantur. Ex quo *Franciscus* permotus, ut factum quacumque ratione tueretur, *Abbiosum* Abbatem, acri hominem ac solerti ingenio, *Venetias* misit. Is, ad *Patrum* conciliandos animos, quæ in *Aquilejensi* negotio *Franciscus* ipse, ac *Ferdinandus Cardinalis* frater *Romæ* pro *Reipublica* egerant, commemoratis, ad *Gajani* navigii negotium progressus, *Nulla*, inquit, ab *Hetruscis* *triremibus* damna *Venetorum* navigiis illata, non ablata, non perquisita *Turcarum*, *Hebræorumve* mercimonia; quid, iis duobus demptis, superesse, de quo *Senatus* conqueratur? *Gajanam* navem *Venetorum* non esse; ea mente *Patres* existere, *Fran-*

*Sancti Stephani militaris religionis a Francisco Hetruriæ Duce instituta. Gajana navis a Florentinis capta.*

*Abbiosus Abbas ab Hetruriæ Duce Venetias missus.*